



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Joannes Bonus. 22. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**



## S. JOANNES BONUS. 22. Octobris.

**G**enuit Mantua JOANNEM BONVM. sed, ò malum ! bonum divitiarum non siverunt esse. Nempe dubites, an, cum demortuo parente hereditatem adiit, plures nummos an vitia numeraret. Unica jam mater suis apud DEVM precibus sustinebat in præcepis ruentem: frustra etiam ipsa futura, nisi morbus quoque manum injecisset, lectuloque affixisset. Hic, uti ferè amat, gustum illi voluptatum abstulit, quæ nuper tam sapiebant: jamque ut valeret JOANNES, valere mundum jussit, & vitam Religiosam vovit. Hæc salutari medicinâ in pedes erectus, morbi sui fomenta (divitias) non invitus abjecit, & post vitam prope Cæsena in summâ austeritate aliquamdiu actam, in eremum ad D. Augustini partes transiit, Ordinemque eum magnis incrementis & miraculis amplificavit: quin adeò subinde ad castissima vulnerum oscula ab ipsomet Christo in cruce est invitatus. Sed nondum etiam hinc extra teli jactum castitas stetit. Huc etiam sagittas suas misit Amor improbus. Et jam corpus à flammis impuris æstuabat, jam pudor vicinus incendia metuebat; cum contra tela infanda, tela alia, arundines strinxit JOANNES, & sub primores digitos tam validè adigit, ut triduum examinibus jacuerit. Triumphavit tamen hostem à celo recreatus, & eximius dehinc ab hostilibus ejusmodi incurfibus vixit, Cupidine plus jam arundinum aculeos, quàm apum olim fugiente. *Ex Ferr.*

*Reverà hæc est vera cordis requies, cum totum in amorem Dei per desiderium figitur, nec quidquam aliud appetit, sed in eo, quod tenet, felici quadam dulcedine delectatur, delectando jucundatur. S. Aug. Manual. c. 29.*

S. SE-